

Cambridge University Press

978-1-108-01700-8 - Godofredi Hermanni Opuscula, Volume 8

Gottfried Hermann

Excerpt

[More information](#)

---

## DE ITERATIS APUD HOMERUM.\*)

---

Non multum ad dirimendam litem, quae inter doctos de compositione carminum Homericorum est, conferre mihi videntur, qui scribendi artem, sine qua istiusmodi poemata condi potuisse negant, vel remotissimae antiquitati vindicare student. Nam ignotum illis poetis fuisse usum litterarum non modo silentium eorum de scriptura testatur, siquidem quae Proeti tristia signa in Iliade memorantur non dubium videtur quin aut non fuerint litterae, aut, si fuerunt, quae vis et ratio earum esset, latuerit poetam, verum etiam clamat tota antiquae poesis epicae natura indicis apertissimis. Nam et conformatio coniunctioque sententiarum, et orationis ad numeros accommodatio, et vocabulorum ornantium adiectio, et praedicatorum rebus commemoratis additorum positura, evidentissime eo conspirant, ut non ad legendum, sed ad audiendum facta esse carmina illa appareat. Etenim quae solis auribus percepta delectare volumus, ea, quoniam vox, simulatque audita est, irrevocabilis abiit, ante omnia oportet plana et perspicua esse, ut sequi recitantem commode possint audientes, nec moretur eos aliquid, avertatque attentionem a proxime succedentibus: sic enim fatigaret magis auditio mentes quam afficeret voluptate. Hinc omnis oratio maxima simplicitate ex brevibus membris contexta est, quae neque inter se implicata sunt, nec longos verborum conexus efficiunt, sed alia aliis deinceps adiuncta singula per se constant, ita ut, si quando interpositis alienis suspensa

---

\*<sup>)</sup> Edita est a. 1840.

maneat sententia, nunc ab novo initio quae reliqua erant adiificantur, nunc ipsa vocis temperatione quae intermedia sunt distinguantur a ceteris: cuiusmodi exemplum est in Iliad. XIII. 674—680. Deinde quae narrantur ita solent describi, ut semper ex praegressis aliqua pars repetatur: quo fit ut et ea quae iam audita sunt facilius retineantur firmiusque imprimantur animis, et laxius atque remissius fluat oratio, quam si novis semper constipatis attentionem difficultem et molestam redderet. Ad eamdem consuetudinem pertinet quem grammatici vocant *τρόπος ἐτυμολογικός*, quum quod uno vocabulo dictum est pluribus explicatur, ut

*κύνας πηρεσσιφορήτους,*

*οὓς Κῆρες φορέοντι μελαινάων ἐπὶ νηῶν·*

*δώδεκα δ' ἵππους,*

*πηγούς, ἀθλοφόρους, οἱ ἀέθλα ποσσίν ἀροντο.*

Mirifice porro et recitanti poetae memoriam et audiencentibus facilitatem perceptionis adiuvat summa illa orationis cum numeris versuum conspiratio, cuius haec virtus est, ut, quum fere singulis versibus versuumque partibus singulae sententiae absolvantur, ipsi numeri terminos constituant, quos intra conclusae esse debeant sententiae. Itaque etiam qui loquentes introducuntur, integro versu et incipiunt verba facere et perorant: idque factum est eo quoque loco, quo solo ex obliqua oratione in rectam transitur, Iliad. IV. 303. Eodem referenda sunt alloquendi formulae integrum versum exemplentes, ut

*Ἀτρείδη κύδιστε, ἄναξ ἀνδρῶν, Ἀγάμεμνον.*

Omninoque plurimum conferunt ad hanc orationis cum numeris convenientiam vocabula ornatui destinata, quibus quum veluti vacua in sententiis spatia impleantur, non solum opportunitas praebetur membra orationis usque ad finem versus producendi, sed etiam, quod ita stabilia sunt ista vocabula, ut cognominum instar sint, ornant illa quidem orationem, sed, quoniam saepe nihil faciunt ad ea quae quoque loco narrantur, non exposcunt sibi diligentiam singularem audiendum. Denique etiam quae sic in describendis ornandisque rebus adiiciuntur, ut adverti animum postulent, quum positu suo in initiis versuum separentur a praegressis, simul et dispescunt orationem in membra numeris accommodata, et faciunt ut omnia per partes descripta clarius patescant: ut,

*κυημίδας μὲν πρῶτα περὶ αὐγήσιν ἔθηκε,  
καλάς, ἀργυρέουσιν ἐπισφυρίοις ἀραινίας.*

Qualia qui sic scripta dederunt, ut nullam in fine prioris versus interpunctionem ponerent, non perspectam habuerunt artem poesis epicae. Id quum sermonis ratio ostendat, quae, si non interpungeretur, praeposito adiectivo *καλὰς κυημίδας* dici postularet, tum apertius alia exempla declarant, ut Iliad. XI. 3.

*Ζεὺς δὲ Ἔριδα προϊαλλε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν,  
ἀργαλέην, πολέμῳ τέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσαν.*

Non posita enim interpunctione aliquam de pluribus gravem Eridem misisse videretur Iuppiter, qui dicendus erat hanc quae una est Eridem misisse, gravem illam, belli signum in manibus gestantem. Itaque etiam Iliad. XI. 489. distinguendum erat:

*Αἴας δὲ Τρώεσσιν ἐπάλμενος εἶλε Λόρυκλον,  
Πριαμίδην, νόθον νιόν.*

Et sic aliis non paucis in locis. Haec omnia ut soli auditioni factam esse illam poesin produnt, sic etiam ostendunt quam facile fuerit istiusmodi carmina ex tempore fundere: ex quo apparet ne opus quidem fuisse litteris, ut conderentur carmina, quae et memoria retineri facilissime a poeta possent, et, si quid excidisset, paratam haberent ad supplendum materiam amplissimam. Id longe aliter se habet apud eos poetas, qui carmina sua scripto consignarunt, nisi si qui artem illam Homeri diligenter sunt imitati: id quod felicissime cessit Quinto Smyrnaeo. Verissime enim Caesar de B. G. VI. 14. ubi Druidum discipulos magnum numerum versuum ediscere iussos narrat, ut ne litteris confisi minus memoriae studerent, fere plerisque accidere dicit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant.

Consequens fuit illius quam exposui rationis, ut veteres illi poetae saepenumero in eadem re eadem verba eosdemque versus iterarent, quod vitatum est ab illis, qui scripto carmina sua expoliverunt. Sed iterationum in Homericis carminibus tanta et multitudo et varietas est, ut non de omnibus idem statuendum videatur. Nam quum et natura sua differant inter se nec caussas habeant easdem, aliae earum necessariae sunt, aliae supervacancae; aliae certae, aliae incertae; aliae placent, aliae displicant; aliis nihil

offendimur, aliae ne ferendae quidem videntur. Quam iterationum dissimilitudinem qui consideret, facile credo talem esse reperiet, ut et ipsa aliiquid conferat ad convellendam opinionem eorum, qui temere discerpi carmina Homeri queruntur. Volo huius rei rationem paucis adumbrare: non enim de exhaurienda cogitare poterit, nisi qui se speret omnem carminum illorum compositionem ita in suas partes resoluturum, ut quid cuique parti tribendum sit satis probabiliter definiatur.

Ac primo quae per ipsum rerum narrandarum ordinem saepius redeunt, per se patet rectius iisdem quam aliis verbis dici. Molesta enim esset variatio, exilemque magis diligentiam poetae, quam occupatum gravioribus animum proderet. Itaque nemo non probabit, si talia iterantur, quale hoc est:

*δούπτησεν δὲ πεσάν, ἀράβησε δέ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ.*

Pertinent ad hoc genus etiam comparationes eiusmodi, quae quod cuivis facile in mentem veniant, propemodum pro usitatis formulis habentur, ut *ῳστε νόημα* de celeritate dictum, vel de praecipitato *ἀρευτῆρι ἔοικώς*.

Diversum ab his genus est, quo mandata iisdem verbis, quibus accepta sunt, perforuntur: quod ut antiquae simplicitatis est, ita eo quoque commendatur, quod alioqui parum fidus esse nuntius videretur. Simile est, quod Telemachus Od. II. 215 seqq. iisdem verbis quid facturus sit dicit, quibus I. 281 seqq. eum monuerat Minerva, quodque idem IV. 322. Menelaum iisdem verbis orat, quibus usus erat apud Nestorem III. 92 aut quum de Alcinoo lacrimare Ulixem vidente eadem verba usurpantur VIII. 93, 532 aut quum de coorta tempestate eadem dicit Ulysses XII. 403. XIV. 304. Nimium vero esse arbitror, quod quinque versus ter positi sunt Iliad. II. 11, 28, 65 quibus etsi non offensum video C. Lachmannum, cuius viri iudicio plurimum tribuo, tamen videor mihi in ea re duorum carminum vestigia deprehendere.

Similis aliarum iterationum ratio est. Nam quod multis in locis antiqui interpretes adnotarunt, versus aliquos ex aliis locis illatos esse, id etiam latius patet. Vix enim dubitari potest, quin quaedam horum exemplorum ab iis profecta sint, qui diversa carmina in unum coniungentes haec duo quae nunc habemus magna poemata condiderunt. Eo sat

certis indiciis refero, quae Iliad. XI. 658 seqq. XVI. 23 sqq. item quae XI. 794 seqq. XVI. 36 seqq. leguntur.

Quemadmodum, ut supra dictum est, in rebus vulgaribus, quarum saepius memorandarum usus venit, eadem verba usurpari consentaneum est, sic idem cadit etiam in ea, quae praecipuam quamdam gravitatem et singulare pondus habent. Sed id eiusmodi est, ut in epico carmine vix alibi locum inveniat, quam quum aliquid solito maius ac difficilior dicendum est: ut quum Homerus Il. II. 484, XI. 218, XIV. 508, XVI. 112 dixit:

*ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὄλύμπια δάματ' ἔχονσαι.*

Alia, sed similis ratio est, si scriptor carminis didactici earum aliquam sententiarum repetit, quae praecipuum placitum admonitionemve non obliviscendam continent, ut apud Lucretium quater legimus: [I. 143 sq., II. 59 sq., III. 94 sq., VI. 39 sq.]

*hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse est  
non radii solis neque lucida tela diei  
discutiant, sed naturae species ratioque.*

Id eum exemplo Empedoclis fecisse non dubium videtur.

Aliud genus est eorum, quae in carminibus Homericis imitando iterata inveniuntur: quae sunt eiusmodi, ut si non poetas diversos, certe carmina separatim facta testentur. Nihil enim impedit quin credamus aliquem poetam quos uno in carmine versus posuisset, iis usum esse etiam in alio. Huiusmodi sunt quae leguntur in Odyss. XI. 446 seqq. et XXIV. 87 seqq. de quo loco dixi in dissertatione de *ἄντη* particula p. 39. Talia aliquoties in comparationibus inveniuntur, ut Iliad. XI. 444 et XII. 149, item XI. 554 et XVII. 657 quibus in locis pleraque iisdem verbis sunt exposita. Feraimus fortasse, si quid huiusmodi paucis verbis continetur, ut illud de lacrimante Iliad. IX. 14. XVI. 3.

*ἄστε πορίνη μελάνυδρος*

*ἥτε πατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.*

Quid vero de sex versibus dicamus, quibus Iliad. VI. 506, XV. 263, equus describitur, aut de illis quinque, quibus XIII. 389 et XVI. 482 vir cadens in proelio cum arbore comparatur? Magis etiam absonum est, quod quae Iliad. XIII. 23—35 de Neptuno dicta sunt, VIII. 44—50 mutatis quae necessario mutanda erant, ad Iovem translata videmus. Eadem perversitate in Odyssea V. 8. Minerva Mentoris verbis, quae sunt

in II. 230 utitur. Sic etiam praeclaros illos versus Iliad. XXII.209.

καὶ τότε δὴ χρύσεια πατήσοι ἐπίταινε τάλαντα,  
ἐν δὲ ἐπίθει δύο μῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,  
τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δὲ Ἔπιφρος ἵπποδάμοιο·

Ἐλλε δὲ μέσσα λαβών φέπε δὲ Ἔπιφρος αἴσιμον ἥμαρ,

VIII. 69. Achivis aptavit, qui istam carminis partem ex Homericis versibus composuit. Quae qui accurate consideraverit, quid aliud quam ornamenta esse ex antiquiorum poetarum carminibus decerpta fateri cogetur?

Sed progrediendum est longius. Nam videntur etiam iterationes factae esse, quibus non eadem sententiae eademque verba iterarentur, sed modus dumtaxat narrandi reperteretur, substitutis aliis pro iis quae omitterentur. Quum enim in comparationibus fere ab una re similitudo peteretur, nisi ubi duo similia coniunguntur, ut πάπριος ἡλέων, vel πλαγγή κηνῶν ἡ γεράνων ἡ πύκκων δουλικοδείρων, quibusdam in locis alia aliam sequitur comparatio. Ac sane vel per se habent eiusmodi exempla quo suspecta reddantur. Nam quum illustrandi ornandique caussa adhibeantur comparationes, haut recte facere videtur poeta, qui coniunctis duabus imaginibus altera alteram debilitat, animosque audientium in diversa trahit, ut nesciant utri similius sit id quod comparando illustrabatur. Mirum profecto foret, si id latuisset illos poetas, apud quos nunc istiusmodi exempla inveniuntur. Quod si recordamur, id quod multis iisque minime ambiguis documentis constat, rhapsodos, qui veterum poetarum carmina recitabant, eas potissimum partes, quae ornatai factae erant, pro suo arbitrio tractasse, quaeque vel minus placebant, vel splendidius dici potuisse viderentur, cum aliis commutasse, non multum opinor dubitabimus quin distinguere diversorum poetarum versus debeamus. Insigne exemplum est Iliad. XIX. 372.

ἀμφὶ δὲ ἄρδε ωμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον,  
χάλκεον· αὐτὰρ ἐπειτα σάκος μέγα τε στιβαρὸν τε  
εἰλετο· τοῦ δὲ ἀπάνευθε σέλας γένεται ἥψε μήνης.

ώς δὲ ὅτε ἀν εἰ πόντοιο σέλας ναύτησι φανήῃ  
καιομένοιο πυρός· τὸ δὲ καιέσται ἴψοθεν ὄρεσφιν,  
σταθμῷ ἐν οἰοπόλῳ· τοὺς δὲ οὐκ ἐθέλοντας ἄστλαι  
πόντον ἐπὶ ἰχθυόεντα φίλων ἀπάνευθε φέρουσιν·

ώς ἀπ' Ἀχιλῆος σάκεος σέλας αἰθέρ' ἵκανεν,  
καλοῦ, δαιδαλέου.

Quis non videt, si clipeus Achillis cum fulgore lunae comparatur, refutari illam similitudinem adiecta descriptione alius multo magis fulgentis flammae? Ex quo facile licet existimare, diversorum haec poetarum esse, quarum alter sola lunae similitudine usus fuerit, alter autem non posuerit hunc qui de luna est versum. Non minus memorabile exemplum praebent haec Iliad. XI. 548.

p. 9

ώς δ' αἰθωνα λέοντα βοῶν ἀπὸ μεσσαύλοιο  
ἔσσενοντο κύνες τε καὶ ἀνέρες ἄγροιῶται,  
οἵτε μην οὐκ εἰῶσι βοῶν ἐκ πίᾳδ έλέσθαι,  
πάννυχοι ἐγρήγορτες· ὃ δὲ κρειῶν ἐρατίζων  
ἰδύει, ἄλλ ούτι πόγροι· θαμέες γὰρ ἄκοντες  
ἀντίοι ἀΐσσονται θρασειάων ἀπὸ χειρῶν,  
καιομεναί τε δεταῖ, τάς τε τρεῖ ἔσσυμενός περ·  
ἡδθεν δ' ἀπὸ νόσφιν ἔβη τετιηότι θυμῷ·  
ώς Λίας τότ' ἀπὸ Τρῳών τετιημένος ἦτορ  
ἥϊε, πόλλ άέκων· πέρι γὰρ δίε νησιν Ἀχαιῶν.

ώς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρονραν ιῶν ἐβιήσατο παῖδας,  
νιωθής, φ δὴ πολλὰ πέρι ρόπταλ ἀμφὶς ἐάγη,  
κείχει τ' εἰσελθών βαθὺ λήιον· οἱ δέ τε παῖδες  
τίπτουσιν ρόπαλοις· βίη δέ τε νηπίη αὐτῶν·  
οπονδῇ τ' ἐξήλασσαν, ἐπεὶ τ' ἐνορέσσατο φορβῆς·  
ώς τότ' ἔπειτ' Λιαντα μέγαν, Τελαμώνιον νιόν,  
Τρῳές ὑπέρθυμοι τηλέυλητοι τ' ἐπίκουροι·  
νύσσοντες ἔνστοῖσι μέσον σάκος, αἰὲν ἔποντο·

Utraque egregia imago est: sed qui alteram fecit, non usus esse altera videtur: tam inter se dissimiles sunt. Ut haec propter nimiam dissimilitudinem, sic propter nimiam similitudinem non est credibile ab uno poeta profecta esse, quae Iliad. II. 144. leguntur:

κυνήθη δ' ὑγροή, ως κύματα μαρῷα θαλάσσης  
πόντου Ικαρίοιο, τὰ μέν τ' Εὔρος τε Νότος τε  
άροδ' ἐπαίξας πατρὸς Λιός ἐκ νεφελάων.

ώς δ' ὅτε κυνήση Ζέφυρος βαθὺ λήιον ἐλθών,  
λάβρος ἐπαιγίζων, ἐπι τ' ήμένει ἀσταχνέσσιν·  
ώς τῶν πᾶσ' ἀγορὴ κυνήθη.

Non dubito idem contendere de eo loco in quo tot quot nullo  
in alio coniunctae sunt comparationes, II. 455.

455 ήγέτε πῦρ ἀίδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὑλῆν  
οὔρεος ἐν πορυφῆς, ἔκαθεν δέ τε φαινεται αὐγή·  
ώς τῶν ἐρχομένων ἀπό χαλκοῦ θεσπεσίοιο  
αἴγλη παμφανόωσα δί αἰθέρος οὐρανὸν ἵκεν.

p. 10 τῶν δ', ὥστ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,

460 χηνῶν ηγεράνων η κύνων δουλιχοδείρων,  
Ἄσιοι ἐν λειμῶνι, Καῦστρίου ἀμφὶ φέεθρα,  
ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμεναι πτερούγεσσιν,  
κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμῶν  
ώς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἀπό καὶ κλισιάων

465 ἐς πεδίον προχέοντο Σκαμανδρίον· αὐτὰρ ὅποι χθὼν  
σμερδαλέον πονάβιζε ποδῶν αὐτῶν τε καὶ ἕππων.  
ἔσται δὲ ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίῳ ἀνθεμόεντι,  
μυρίοι, ὅσσα τε φύλα καὶ ἀνθεα γίγνεται ὥρη.

ηγέτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά,

470 αἵτε κατὰ σταθμὸν ποιμήσιον ἡλάσπονσιν  
ώρη ἐν ειαρινῇ, ὅτε τε γλάρος ἄγγεα δεύει·  
τόσσοι ἐπὶ Τρώεσσι παρηκομόωντες Ἀχαιοὶ  
ἐν πεδίῳ ἴσταντο, διαδραΐδαι μεμαῶτες.

τοὺς δ', ὥστ' αἰπόλια πλατεῖ αἴγῶν αἰπόλοι ἄνδρες

475 φέια διακρίνωσιν, ἐπεὶ κε νομῷ μιγέωσιν  
ώς τοὺς ἡγεμόνες διεκόσμεον ἔνθα καὶ ἔνθα,  
νόμιμηνδέ ιέναι· μέτα δὲ κρείσιν Ἀγαμέμνων,  
ὅμματα καὶ πεφαλήν ἵκελος Διὸς τερπικεραύνῳ,  
"Ἄρει δὲ ζώνην, στέρον δὲ Ποσειδάωνι."

480 ηγέτε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἐπλετο πάντων,  
ταῦρος δὲ γάρ τε βοέσσι μεταπρέπει ὀγρομένησιν  
τοῖον ἄρδετον θῆκε Ζεὺς ἡματι κείνῳ,  
ἐπιπρεπέεν τολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἡρώεσσιν.

Apertum est versus 467. 468. et iis quos nunc sequuntur et  
versui 468. subiungi potuisse: sed qui poetae iis usi sunt,  
certo non fecerunt versus 469—473. Habemus ergo, nisi  
vehementer fallor, hic quattuor poetarum versus, quorum  
quisque pro suo sensu exercitum ad pugnam exeuntem des-  
cripsit. Quamquam haud scio an admirator aliquis eius car-  
minum Homericorum formae, quam ab antiquis traditam ac-  
cepimus, argumenta sit conquisiturus, quibus pro contraria  
sententia cum aliqua specie pugnari possit. At sunt alia,

quae vel pertinacissimo antiquae auctoritatis defensori assensionem extorqueant. Non utar illis, quae apte dicit Telemachus, procos ex domo sua abire iubens, Odyss. II. 139. non apte autem I. 374. sed quis ferat Odyss., XVI. damnatos p.<sup>14</sup> iam a Zenodoto versus 281—298. qui importunissimo loco positi sunt, sumpti ex XIX. 5. ubi pars eorum potissima suam habet 'sedem? Ficta narrat Ulixes apud Eumaeum Odyss. XIV. 199. et apud Penelopam XIX. 172. Utroque loco se Cretensem esse ait, sed in priore Castoris, in altero Deucalionis filium: haec recte, quod vera dicere nolenti quidvis fingere licebat. Sed si fingeret, cur, ubi se de Ulike audivisse dicit, eadem Penelopae quae Eumaeo refert, licet paullum mutato ordine? nam quae XIV. 323—330. leguntur, in XIX. scripta sunt v. 293—299. quae autem XIV. 331—335. in XIX. sunt v. 288—292. Alia potius poeta, si delectare auditorem vellet, fingere debebat, non iterum ponere, quae iam dicta essent, eoque minus, quod ficta non habent gratiam nisi a novitate. At non solum haec repetit Ulixes, sed quae XIV. 258. narrat, iterat etiam apud procos XVII. 427—444. Cuiusmodi iterationes aut magnae ingenii paupertatis aut insignis negligentiae documenta sunt: quod contra si in diversis carminibus eadem posita fuerunt, non est quod quis vituperet, quia si eiusdem poetae sunt, nihil impediebat quin alio tempore et coram aliis auditoribus recitaret quae his nova viderentur; sin diversorum poetarum, exornare iis sua carmina licebat aliunde depromptis versibus, quae tum omnium videtur poetarum consuetudo fuisse. Nullum vero incredibilius exstat iterationis exēplum, quam Odyss. IV. 613—619. XV. 113—119. quibus versibus Menelaus craterem describit, quem hospitii caussa donaturus sit Telemacho. Nam ne commemorem, quam parum veri simile sit, quod narratio illa quae de Telemachi apud Menelaum commoratione est, abrupta IV. 624. demum in XV. interpositis undecim rhapsodiis ad finem perducitur, illud plane absurdum est, istis quos dixi versibus id quod semel factum est bis referri. Atque hoc quidem tam manifestum est, ut ex eo de ceteris quae similia attulimus existimari possit. Ergo omnino triplex iteratorum genus est, unum, quae sunt verae iterationes, factae ab uno poeta in eodem carmine propterea, quod alia substituere vel exilis diligentiae vel pravi iudicij

fuisset; alterum, quae videntur iterationes esse, sed non sunt, quum quis poeta vel alius poetae vel suis ipsius ex alio carmine versibus utitur; tertium denique, quae iterationes quidem sunt, verum illae non ab ipsis poetis, sed ab illis profectae, qui ex diversis carminibus Iliadem et Odysseam p. 13 componentes nunc servarunt quae ex uno carmine in aliud erant translata, nunc ipsi, ut hiantia conglutinarent, lacunas ex aliis locis compleverunt. Atque illius quidem generis, quod positum est in utendis alienis, plura haberemus exempla, si alia ad nostram aetatem pervenissent antiquissimorum poetarum carmina. Eorum quaedam vestigia in ipsis Homericis inveniuntur.

Fuit quoddam p̄ervetustum carmen de Nestoris rebus gestis, ex quo in XI. et XXIII. libro Iliidis aliquid conservatum est, ac nescio an ipsis poetae illius verbis. Magnam enim partem sermonis, quem in XI. habet Nestor, ita ab Homericis discrepare, ut manifestissime alium poetam prodat, iam in praefatione hymnorum indicavi: persecutusque est hanc rem diligenter singulari dissertatione Aemilius Pinzgerus edita Ratiboriae a. 1836. Alia horum pars continetur XXIII. v. 629—642. Utraque insigni exemplo monstrat quomodo alienis et usi et abusi sint poetae etiam antiquissimi. In utraque sermo est de Molionidis, de quibus quae Hesiodus rettulisse dicitur, nihil sunt aliud quam commenta ex male intellectis veteris poetae verbis hausta. Nam quum Homerus quos Iliad! XI. 709. Μολίονε, XXIII. 638. autem Ἀκτορίωνε vocat, XI. 750. coniuncto utroque nomine Ἀκτορίωνε Μολίονε dixerit, Hesiodus matrem iis fuisse credidit Molionen, quod nomen in Apollonii lexico et apud Pausaniam V. 2, 2. bis sine librorum discrepantia, et VIII. 14, 9. ubi unus tantum codex cum impressis Μολιόνης habet, Μολίνη, sed perperam, scriptum est. Molione dicta est ab Ibyco, Apollodoro, schooliastis Homeri ad XI. 709. Pindari ad Ol. X. 28. 29. Atque Apollodorus II. 7, 2. 2. p. 210. ita scribit: παιδες δὲ ἡσαν Μολιόνης καὶ Ἀκτορος, ἐλέγοντο δὲ Ποσειδῶνος. Ἀκτωρ δὲ ἀδελφὸς ἦν Αὔγεον. Vehementer torsit grammaticos illud Ἀκτορίωνε Μολίονε. Apollonius in lexico p. 143, 21. Μολίονες, μαχηται, ἀπὸ τῆς πατὰ μάχην γενομένης μολήσεως ἢ ἀπὸ τοῦ συνεχῶς μολίσκειν εἰς μάχην ἀπὸ γὰρ μητρὸς οὐδένα σημαίνει Ουμηρος. Ήσιόδος δὲ ὡς Μολίνης νιοὺς γεγονότας